

The Electronic Manipulus florum
www.manipulusflorum.com

Iactancia b
cum fonte primo

Iactancia non est uicium laudis humane, sed uicium anime peruerse amantis humanam laudem spreto testimonio consciencie.

Augustinus XII. de ciuitate Dei.

Neque enim auri uitium est auaritia, sed hominis peruerse amantis aurum iustitia derelicta, quae incomparabiliter auro debuit anteponi; nec luxuria uitium est pulchrorum suauiumque corporum, sed animae peruerse amantis corporeas uoluptates neglecta temperantia, qua rebus spiritaliter pulchrioribus et incorruptibiliter suauioribus coaptamur; nec iactantia uitium est laudis humanae, sed animae peruerse amantis laudari ab hominibus spreto testimonio conscientiae; nec superbia uitium est dantis potestatem uel ipsius etiam potestatis, sed animae peruerse amantis potestatem suam potentioris iustiore contempta.

Augustinus Hipponensis, *De ciuitate Dei*, 12, 8 (CCSL 48, B. Dombart ed., pp.362-3, ll.11-22).